Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Manuscripta Rhenaugiensia - Cod. St. Blasien 33 bis 37

[Pars I] - St. Blasien 33

Hohenbaum van der Meer, Moritz

[Südschwarzwald, St. Blasien], [2. Hälfte 18. Jh.]

Hugo Schmidfeld, Observationes criticae in Origines Monasterii Rhinaugiae

urn:nbn:de:bsz:31-46488

Visual Library

J.M.J.

Observationes Criticæ In Origines Marÿ Rhinaugiæ.

Indubitatum esse, relinquo, Origines Marÿ Rhinaugiæ nullo, quod securum sit, fundamento niti, nullo probari posse authentico ante annum Christi 852. quo Diploma Hludovici Germanici Wolveno Comiti Kiburgico datum eidem Mario Abbaten constituit Gozbertum; nisi quod aliqui hactenus consuevere, firmissima dicere velis basin, vitam S. Fintani à diversis conscriptam, descriptamque; quâ S.ti hujus Rhinaugiensis Marÿ Incolæ adventus circa annum 800. contigisse notatur, tametsi et hoc dissimiliter omninò sit factum. Sane, id certissimum cuique, in Historia Rhinaugiensi etiam hospiti, esse puto, quod de tempore adventûs S. Fintani Rhinaugiam, vera Origo hujus Monasterÿ plurimum et primò dependeat: is enim si accidit circa an: 800. hac etiam ætate Marium Rhenaugiam stetisse, monachos et Abbates habuisse, credendum erit; quodsi verò ad medium sæculum 9.num ejusdem S.ti adventus transfertur, junior quoque erit Origo Rhinaugiæ.

Quare non abs re, sed et accessum fuerit in hujus Sancti Fintani vitam, scripto nobis ab optimis prædecessoribus relictam, necnon in quorumdam Chronographorum alias annotationes primam formare crysin. Consectaneum verò attingemus et illud aureum antiquitatis monumentum è Scriniis San-Gallensis Archivÿ productum, quo primorum Rhinaugiæ Abbatum series, et Monachorum conscriptorum, aut confæderatorum ordo manu sedicita est annotatus.

Sit igitur Observatio I.ma In vitam S. Fintanj.

Observatio II.da In MS.tum San-Gallense.

Corollaria ~~quædam~~ ex his prodibunt tandem aliqua.

Observatio Ima
In Vitam S.ti Fintani.

N. 1.mo Vita S. Fintanj ab antecessoribus scripta vel exscripta exemplaria tria, quod ego sciam, supersunt: duo nempe in Rhinaugiæ Monrio, unum, quod Lectiones Antiqui Breviarÿ efficit, et characteres Sæc. XIII. vel ad summu XII. habet, nec de Monachismi tempore, à S. Fintano suscepti quidquam refert: alterum, quod idem Lectionu geng est, Sæc. apertè XIV. aut junioris, utpote quod gothico charactere appareat: atq hoc quidem post verba: Tunc præfatus Dominq ejus in proprio Monasterio, quod Renaugia vocatur, eum monachari fecit: post Asteriscum superius positum: * clarè habet: Anno Dominicæ Incarnationis DCCC. ætatis verò suæ L.o I.o Notabis autem: quod DCCC. numerq non compareat; sed Octingentesimo: sit scriptum. Tertium vitæ S. Fintani exemplar in Mnsio Augiæ Divitis Codice Membranaceo, prout illa Rhenaugiæ duo, insertum distinctis litteris ostendit: Ano Dominicæ Incarnaois DCCCC. ætatis verò sua L.o I.o cujus hæc ætatis sit scriptura, ignoro.

N. 2.da His jam adjungendus est Chronographorum, et Historicoru calculq: quorum primas tenent MSS. Fabariensia à Reverend.mo CC. Abbate Bernardo è Rhinaugia mihi benignissime communicata: sunt verò hæc quatuor diversæ manus, è quibq primu sic habet:

Ao 802. in Superiori Alemania sive Rhetia claret noster Princeps Fintanq tyro B. Wernerj /: qui ad an: 811. Fabariæ abbas obÿt:/ .... divinitq edocetur consumandæ monasticæ Rheni insulæ, officina et Palæstram sibi fore. Tandem ÿte Fintanq ibi loci solemni voto ritueq abbatis Wichromi permissu in clusam se detrusit. CC

Secundum ita sonat:

Ao 802. In Superiori Alemaniæ Fabariæ reliquit, ac in eremum Rhenaugiensem migrat, multaq

131

miracula perpetrat, sub quo initia
cœnobij Rhenaugiensis jaciuntur:
Tertium Fabariense monumentum
sequentia liberius notat:
A.o DCCCC. Fabariam venit S.us
Fintanus in Ibernia Princeps
abbate Eberhardo 15.to sub Wern-
-hero (qui postea Eberhardo succes-
sit) monasticæ vitæ fundamenta
anno DCCCCI æt. LI. posuit, accep-
-ta tandem in somno visione, Fa-
-bariâ Rhenovium petijt a.o DCCCCII.
Quartum tandem, Fabariense Ne-
-crologium mortem S.ti Fintanj hisce
enarrat:
In alemania XVI. Kal. Nov. S. Fin-
-tanj confessoris a.o Chri DCCCCXXVIII.
ætatis CXXII.

Inter Historicos subsequi temporis
primus omnium, quod mihi notum sit,
vitam S.ti Fintani cohærente Chro-
-nologia, si non ficta, scripsit
R.R.mus DD. Augustinus Stöcklin è
Muris Disertinæ Abbas postulatus:
hic S.tum Fintanum in Hiberniæ Insula
à Principum sanguine prognatum
a.o 749. tum, año incerto, vita
aliquamdiu apud Fabarias sanctis-
-sime actâ, sub quo Abbate, ait,
nondum didici Wolfehardum Comi-
-tem Kyburgensem convenisse a.o 796.
quem Rhenovienses Fundatorem suum
frequentant; subinde, quadriennij
spatio exacto in clericali statu,
ab eodem Wolfehardo in proprio suo
Mærio, cujus nomen Rhinawa, sub
Abbate Wicram monachum creatum
fuisse a.o 800. ætatis vero suæ 51.
Tandem vero a.o 806 clausa se
commisisse, et in cœlum migrasse,
asserit XV. Novembris. a.o Christi
827. ætatis vero suæ 78.

N. 3.ius
Augustinus Stöcklin circa añum
1640.

Ejusdem fere mentis fuit Bucelinus
in Chron: Constant: ad años 797.
800. et 827.

Bucelinus vixit sub añum

Deniq; R. P. Carolus Fabariensis
Monachus ex antiquissima Chronica
ejusdem cœnobij, quæ tamen ibidem
non amplius exstat, exscripsisse fertur;
a.o 803. moritur B. Eberhardus
cui ... Wernherus succedit. = sub
hujus disciplina floret a.o 800. S.
Fintanus Lagenia Princeps, qui
cœlestibus oraculis et visionibus edoctus

Carolus floret circa mediũ
Sæc: 17.mum

4.
132

Eremiticã vitã et monachismũ eligit, et suasu Wernerj abbatis omnem pompam mundi reliquit... Eodem año, posito vitæ Monasticæ fundamento S. Fintanus ad eremũ petit.... A.° 827. moritur noster Fintanus, et plurimis miraculis coruscat.

Ultimo loco ponam lectionem Proprij Curiensis, sic, ut illã accepi à Rev.mo DD. Bernardo:

Fintanus Princeps Laginiæ .... año ætatis suæ 51. ..aliquamdiu in Fabariensi Mañio habitavit; demũ ad cænobium Insulæ Rheni, dicto Rinaw sese contulit, ubi .... egit 27. años et ibidem in sua clausa .... migravit in cælum decimo quinto Novembris Anno Christi millesimo trecentesimo vigesimo septimo ætatis verò suæ 78.

Hæc omnino sunt, quæ de vita, tempore ac ætate S. Fintani ad notitiam meam pervenerunt, quorum examen criticum antequã subeamus

N. 4.tus Ex Auctore Vitæ conscriptæ et N.ro I.o assignatæ aliqua, utpote certa, hic prænotare libet, et expedit:

1.mo quidem illud: Vir... Fintanus genere Scotus, civis Provinciæ Laginensis: et: In eadẽ provincia Laginensium inter duos principes grandis est orta seditio; unius ergo principis miles fuit pater Fintani.

2.do Prædicti ergo viri beati (Fintanj) sororem gentiles, qui Nordmanni vocantur, plurima Scotiæ Insulæ, quæ et Hibernia dicitur, loca vastantes, inter alias fœminas abducere captivã: item: atq; invitato Fintano Nordmañi venientes et de medio convivarum rapientes, sicuti cum inimicis suis conciliati sunt, arctissimis eum vinculis ligavere.

3.tio Hinc S.ti Martini sedem petens, postea Franciã, Alemañiã, Longobardiamq peragrans, proprio pede demum et labore Romam pervenit: Inde reversus quendam nobilẽ virũ in Alemañia adivit, cum quo in clericatu per quatuor años permansit. atq; : ubi (in Rhinaugiâ) per quinqueniũ singulos virtutũ gradus ascendens .... in arctissimo loco se reclusit .... cum permissu abbatis hic quartã parte panis

4.to In Festivitate S. Brigittæ v.
non modicam pauperum turbam...
5.to tandem: Sanctus Findanus Patronus noster arctissimo loco inclusus,... viginti duos años incomparabiliter corpus perdomuit.

Jam ad crysin ipsam formandam! quæ, ut accuratiùs fieri queat, per Quæstiones aliquas rem omnem explanare conabimur.

Quæstio I.ma Quis fuerit Auctor vitæ S. Fintani? et quo tempore vita sit Scripta? N. 5.tus

R.detur ad 1.am Quæst. partem.

Auctor vitæ S.ti Fintani absq dubiô fuit Monachus Rhinaugiensis, utpote, qui in vita hac, scribit ipsissime: Igitur priori nocte, antequam S. Blasij reliquiæ huc ad Renaugiam de Roma venissent &c.
Item: S. Findang ergo Patronus noster... arctissimo loco, qui situs est ad Septentrionalem partem Basilicæ S. Mariæ &c. Locus hic hodiedum in Ecclesia Rhinaugiensi cernitur.

R.tur ad 2.dam Quæst. partem

Tempus Auctoris vitæ diffinire sanè mihi difficillimum videtur: ipsiusmet S. Fintani ætate eum vixisse efficacissime probare cernuntur verba Auctoris illa:
Cæterum loci ipsius Rhenaugiæ ostensionem in Phavariensi Mario adhuc degenti, et de hac profectione jam meditanti, nobis ipse referens, licet impulsus ac pene coactus hoc etiam intimavit: cùm verò ab eodem Auctore Festivitas S. Brigittæ v. nominatur, anceps hæreo. | Quis enim nescit, S. Brigittam Viduam Sæculo primum 13.tio aut, quod volunt alij, etiam 14.to vixisse?* An verò effronter dicam S.tm Fintanum ante Sæc. 14.tum non floruisse? quod quidem Lectio Proprij Curiensis, sed, ut puto, per errorem, habet; adeo certè in antiquitatem Rhenaugiensem peccare nollem.

S. Brigita Virgo Patrona Hiberniæ obijt año 520. Colgan. in Triade.

* Cfr. Hesing in Comp. Crud. pag. 156.

Dicam igitur, quod sentiô:
Primus auctor S.to Fintano coævus fuit, pauloq post ejus mortem scripsit: præsentis verò exemplaris descriptor Sæc. XIV. aut XV. Monachus quædam pro suo lubitu, juxta illius Sæculi Scriptores assueverunt, sine cura, sineq consule adjecit; hinc tantæ confusiones

V. N.rum 3.ium ad finem

re tantæ inter Scriptores de ætate
de adventu, de morte discrepan-
-tiæ. Si quid verius quisquam alius
excogitaverit, lubens in ejus sententiam
ibo. | Pedem hæc movent ad

N. 6tus

Quæstionem 2dam Quid sentiendum
sit de tribus Exemplaribus Vitæ,
de quibus N.ro I.o et quid de opi-
-nionibus Historicorum N.ro II. do?
Pe: 3 ad part. Qu: I.a Tria illa exemp-
-laria sunt transumpta, sive Copia
vetustissimi illius MSS. quo, Sæc. IX.
Monachus Rhenoviensis vitam S.
Findani collegit; hinc pluribus illa
scatere mendis non modo credibile, sed
et palam est; cum enim Saeculi XIV.tis monac-
-hos modica floruisse peritia, crysique
nulla imbutos fuisse vel hospites in an-
-tiquaria re certum sit, evenit, ut cum
exscriberent describerentque vetustioris
sæculi Codices, et aliqua vel non in-
-telligerent, vel male legerent, vel
vetustate aliquatenus deleta legere
non possent, quivis pro genio, pro
lubitu, proque intelligentia sua vel
addidit vel dempsit aliqua, quibus
clariora reddere conabantur prioris
ævi scripta ~~allaborabant~~, cum reverâ
illa in summum posteritatis detrimen-
-tum obfuscarent. Hinc illæ lachry-
-mæ in tot ac tantis Monasterijs, quibus
vel ætas invida, vel mala sors, vel
flama vorax sacratioris antiquitatis
monimenta subtraxit: cujus exemp-
-lum nunquam satis deplorandum habemus
in ædibus nostris San-Blasianis, quibus
de Origine et progressu Monasterij nihil
superest præter Codicem unum, Liber Con-
-structionis nuncupatum, quem auctor
Anonymus Sæc. XIV. conscripsit, quique
tot illum contradictionibus, tot epochis
sibi contrarijs, tot hominibus nomini-
-busque confusis implevit, ut Historiæ
nostræ verum initium quærere ridendum sit,
ac ad Sphingem apellare. Accedit,
quod illius ætatis Scriptores descrip-
-toresque vanæ gloriolæ avidissimi fue-
-rint, atque semper res proprias Monasterij
fundationes ~~proxim~~ vetustiores, et
antiquiores reddere pro viribus alla-
-borarint, nullam aperiundæ contra-
-dictionis, seducendæque posteritatis
curam, et timorem habentes.
Sic et ita contigisse autumo in tran-
-sumptis illis vitæ S. Findani,
cum unum alteri in assignandis epochis
contrarium cernimus. Transumptum
illud Augiense, vel ex Fabariensi Codi-
-ce, vel Fabariense ex Augiensi puto;

1.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

cum vel Augiensis descriptor cyphram Ↄ inversam sc. DↃCCC corrigere voluit, sicque numerum DCCCC rectum efficere, incurius de eo, quod alterius Monasterij virum celeberrimum juniorem reddat, vel certe Fabariensis compilator, videns numerum DCCCC non congruere opinioni suorum, cyphram C invertit, Ↄ. fingendo sphalma, quasi per hoc primam cyphram DↃ complere vellet.

N. 7.mus Quid jam dicamus de illo, ætatis verò ~~de ille~~ suæ &c.?

Ego fere intrepide respondeo, aut inscitia, aut libido gloriæ fuit, quæ descriptor apposuit, ætatis verò suæ: namque autumo, quod cum exscriptor in anterioris ætatis Codice videret cyphras inter se multum distantes: e. g.

DCCC. LI.

quod sæculi VII. VIII. IX et X. Scriptores consuevisse tam ex Diplomatibus, quam Codicibus, novimus; junioris multò ætatis descriptor inscitè putaverit, aliquid inter numerum DCCC. et LI. deesse, vel deletum esse, hincque supposuerit ætatis verò suæ vel stultitia vel imperitia. Nisi dicere mavelis, descriptorem Sæc. XIV. nullam plane epocham in exemplari antiquiori invenisse, atque hanc ex proprio cerebro, pro ~~ætatis su~~ temporis sui opinione affinxisse, quod quidem Asteriscus ille ibidem ante epocham superius lineæ positus * indigitare posset, prout videre est in MSS. Rhinaugiensi.

In hanc sententiam non una adducor ratione, sed bene multis sequentibus: 1.mo enim ex mox prædictis patet, potuisse saltem errare in assignanda epocha

Sæc. XIV. descriptorem Vitæ S. Fintani; ergo, reor, erravit; quia

2.dò vix in Scriptoribus Sæc. X. IX. et VIII. invenies, quod celeberrimorum etiam virorum ætatem assignare consueverint: sc. quot et quanta enim nobis ex vetustate eruta ~~nobis~~ adhuc supersunt Vitarum exemplaria, ut S. Columbani, Aidani, Pirminij et Scheldi et et, in quibus neque vestigium epochæ ætatis deprehenditur; imò rarum erat, si priorum sæculorum Scriptores annum obitus adjunxerunt; scrutemur Necrologia, Calendaria, antiquiora Missalia, Breviaria, in quibus diem tantum mortis, annum rarissime assignarunt; cur credamus igitur, quod Scriptor Vitæ S. Fintani ex authographo Sæc. IX. haurire potuerit epocham ætatis S. Fintani,

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

136

cùm sicut adhuc omninò incertum sit,
an epocham monachatûs ejusdem, atq;
quidem hanc benè legerit? maximè
verò, cur, inquam, credamus, dum contra
epocham ætatis 51. tempore monachatûs
Aº 800. ingressæ gravissima pugnent argumen-
-ta? namq;
3.tiò obstat ipsorum Exemplarium nimia
discrepantia, quæ modò Anno 800. modò
900. modò 802. initium monachatus
S. Fintani ponunt, signo vix non infal-
-libili, epocham hanc pro junioris tempo-
-ris credulitate, confusaq; opinione con-
-fictam fuisse, quam dein diversi ex
diversis scriptoribus itidem erroneè
mutuaverint, hincq; ansam sumpserint
nunc ei præceptorem in Fabaria B. Wein-
-herum; nunc Abbatem, cujus licentia
se in clusam abdiderit, Wikramum con-
-stituendi: de quibus tamen neq; uno
saltem vocabulo mentio fit in Vitæ
descriptione, præter quod ille tempore
clausuræ Abbatem habuerit, atq; ante
adventum Rhinaugiæ insulam Fabariam
inhabitaverit; Sed et
4.tò ipsa Vitæ descriptio contra epocham
800. est; cùm ~~[illegible]~~ Normannorum ir-
-ruptionem primò loco adducit, in nullo
enim hactenus historicorum, quem sciam,
legi, Normannos ante annum 800. irrup-
-tionem in Hiberniam fecisse, potius
omnium primam factam esse anno 810
et 812. cùm dein in Galliam trajecerent,
reperi. Verùm, etiamsi dederis 20. annis
ante Sæculi IX. principium irruptionem
Normannorum contigisse, epocha tamen
p ætatis 51. Monachatus p et ad an. 800. cum historia
vitæ minimè combinari poterit; quæ
dilucidè habet, sororem S. Fintani
à Normannis captivam fuisse abduc-
-tam; tum vice alia ipsum S. Fintanum
à Normannis ad necem conquisitum, post
ostium latitantem, minimè repertum;
tandem quasi post longum intervallum
vitæ scriptor peregrinationis occasione
enarrare incipit: Nec hoc silendum est,
in eadem provincia Lageniensium inter
duos principes grandis est orta seditio;
ex his enim sic argumentor:
In prima Normannorum hostili irrup-
-tione soror ~~[illegible]~~ capta est, demus,
sed resumimus, quod in eadem irruptione
Fintanus post ostium latitans ab ipso-
-rum manibus etiam liberatus sit;
Sanè verò sub eadem irruptione inter
duos principes grandem fuisse ortam
seditionem vix mihi persuadebit aliquis;
quis enim credat, cives et Principes Provinciæ inter
se dissidere eo tempore, quo hostes exteri
totam penè Provinciam igne ferroq; deva-
-stant? Quis tam periculoso situ in locis
mari contiguis convivia parare præ-
-sumat? ergo ~~[illegible]~~ non hostili
ætate, sed pace firmata, cùm Norman-

-ni mercimonij causa Hiberniam fre-
-quentârunt, vel cum è Gallia oris
domum reduces Hiberniam pertran-
-sirent, hinc non modico ab irruptione
intervallo proditum ab inimicis suis
Fintanum credamus. Porro si huic
intervallo aliquos tantum annos demq.
si biennium moræ, quâ in Orcadibus
Insulis apud Episcopum permansit,
si annos illos, quibus proprio pede
S.ti Martini sedem, Franciam, Alemanniam
Longobardiam, Romam, et iter reduces
peragrans insumpsit, si tempus,
quô in Fabaria degit, si quatuor
tandem annos, quibus in clericali
statu apud nobilem virum in Alemañ-
-nia substitit computemus, majorem
fortassis, quam XX. annorum numerum inibi-
-mus. Quid ergô, si ante annum 800.
Normannos Hiberniam [non] attigisse asse-
-ramus? Quapropter, ut absurdum
evitemus, egô, ut opinor, salvo tamen
meliori judicio, ritè statuo:
S.tum Findanum ~~ante~~ [circa] annum 840. ab
inimicis proditum, ~~[illegible]~~ per
4. annos peregrinationem ad loca
Sancta peregisse, tum verò Româ
reducem in Fabaria per annos duos
consedisse, atq. dein apud Wolvenum
nobilem in Alemannia virum per 4.
annos comoratum tandem annô 865.
monachum induisse. Id quod alia
rationes amplius suadent, nempe
[S.to] Quòd auctor Vitæ S. Findani disser-
-tè habeat, Abbatis permissu; sed
cujus, amabo! Abbatis ad initium secu-
-li IX. regnantis? Wicram eundem
quidem aperiat Scriptor Fabariensis,
at quo fundamento? nullo reverâ,
nisi fundamentum dicere velis opinio-
-nem propriam; neq. enim vestigium,
quod ego sciam, in Scrinijs Rhinaugien-
-sibus superest, de Abbate aliquo ante
medium Sæc. IX. gubernante: de
San-Gallensi verò Necrologio, aut F.F.rum
conscriptorum Cathalogo postea disse-
-remus; ex quo nunc unicum illud præ
-notare libet, quod illud unum uni-
-cum Abbatem Wichramum habeat, duos
verò Wolvenos; an verò licebit duos
nunc item Wichramos fingere, sicut
duos illud Wolvenos habet? et hac
quidem fictione rem maximè dubiam,
monachatus nimirum S. Fintani epocham
~~[illegible]~~ magis magisq. dubiam reddere?
Sicq. planam Rhinaugiensis Historiæ
seriem ob 50. annorum spatium, quo
antiquiori, sed obscuro, gauderet privi-
-legiô, innumeris perplectere ambagibus
totamq. ejus invertere veritatem? Ego
saltem in Rhinaugiam sumè reverendam
tantum peccare nollem. Struamus
ædificium super basin firmam et soli-
-dam, ne quivis obvius lapidem submo-
-vere possit. Si ponimus Monachatum

S. Fintani ad Annum 855. Subsequenti
statim anno habebimus primum Abbatem
Gozbertum, ejusque Successores, diploma-
tibus, chartis, alijsque probationibus
satis firmos; imò si Abbatem Wichram
cum S. Fintano simul cogere velimus,
obitum S. Fintani sub Wichram acci-
disse verius dicemus, quam initium Mo-
nachatus. Juxta seriem vitæ enim,
S. Fintanus per quinquennium Monachus
erat, antequam in clusam se detruderet:
in clusa verò permansit 22. annos;
jam si ab anno 855. ascendimus per
annos 5, curret annus 857. Si ab
hoc numeramus annos 22. cedit annus
879, quo fors anno jam electus erat
Wichramus, cùm ab anno 877. usque
ad annum 885. ~~annus~~ annus electionis Wichrami
incertus sit æquè ac annus obitus Wol-
veni Abbatis.

His argumentis non quidem authenticè
veris, vero tamen similioribus si addantur
illa, quæ Rev.mus Abbas Bernardus in
suis reflexionibus supra litt. G. nro
2do adducit, traditioni antiquæ, ut
ajunt, præponderabunt. Unde

N.rus 8.vus

Facilis est ad partem Quæstionis 2dam
responsio, quid de Historicis de S.
Fintano scribentibus sentiendum?
Unico enim verbo responsum absolvo:
decepti sunt: neque enim Bucling, neque
Rev.mus Augustinus, neque R. P. Carolus Fa-
bariensis crypsi indulgebant, sed bonâ
fide, quæ hinc inde ex ~~[illegible]~~ Junioris ævi scrip-
toribus decerpserunt, cultiori stylo
enarrabant; ideoque simul non semel
egregiè hallucinati sunt, contraque
se ipsos senserunt: ita Bucelinus
S. Findanum cum Wolveno per Qua-
driennium vixisse, Rev.mus autem Augustinus
cum Wolfehardo scribit: ~~[illegible]~~ alius Principem
Laginiæ nominat, ~~[illegible]~~ alius civem duntaxat;
in eo tamen Rev.mus Augustinus fidelis-
simus fuit, quod adderet, sub quo Ab-
bate (nempe in Fabaria fuerit?) non-
dum didici: licet ex Scrinijs et Chroni-
cis Fabariensibus absque dubio didicerit,
verùm ob alia motiva dubitaverit, atque
interim vulgatæ de S. Fintano opinio-
ni inhæserit.

NB. Taliter decepti scribuntur Patres
Galli, in sua Gallia Christiana, qui pri-
mum Abbatem Rhinaugiæ Adelbrastum
scripserunt; Vide R. P. Beati Muos
de Jure advoc. Tutel. Tractat. p. 25.
nro. X.

Digrediamur nunc ad aureum illud
antiquitatis documentum, Necro-
logium Sangallense, quidque de illo
sentiendum, et quid inde sit eruen-
dum pro Historia Rhinaugiensi
pari fidelitate et veritatis amore
quantum nobis modicoque ingenio nostro
innotescit dicamus. Si erramus, cor-
rigi amamus, si rem attingimus, illis
grates sint maxima, qui nobis veri-
tatis facem prætulerunt. Sit igitur

Observatio II.

In MSS. San-gallense

Nrus 1.mus

Copia MSS. San-gallensis, quam Rev.mus Cl. Abbas Rhinaugiensis Bernardus in charta oleo tincta ex Authographo San-gallensi affabre depictam mihi gratiosissime comunicavit, ejus est pretij, qualis pro eruenda Historia Rhinaugiensi nulla res alia, nullum monimentum antiquitatis aestimari possit, modo illa sine praejudicio concepto et absque animi sententia jam fixa lustretur. Ego certe in hoc, licet pro domo mea non scribam, mihimet ipsi non fidebam, sed quid de ea alij sentiant, opinione mea occultata perscrutabar. Transmisi illam ad fratrem meum R. P. Stanislaum Wülberz, quem sciebam in hoc antiquitatis genere virum versatissimum, simul atque in formando desuper judicio sincerissimum; qui, postquam lustraverat illam, deprehendit, quod Copia Necrologij istius sit, ~~quod~~ cujus Authographum ille ante annos jam plurimos in San-gallensi Monrio oculis suismet usurpaverat: respondit itaque sermone vulgato; cujus responsi verba hic ut anteponam opinioni meae, dignum atque justum existimo:

Nrus 2.dus

= Das St. Gallische Necrologium ist eine
= schöne piece schon Sec. VIII. oder IX
= angefangen, und usque ad Saeculum
= XII. continuiert; dergleichen auch
= eines in dem Closter Reichenau
= zu ersehen, von welchem letzteren
= wir zu St. Blasien eine Copia
= haben. Das St. Gallische ist
= diversa manus, et attramentum, so
= auch die copia schwerlich zu erkennen.
= Weilen ein Closter in die Confra-
= ternitet getretten, hat man ihme
= ein eigenes blatt pro Suppletione
= gewidmet, und ihn damahl alle
= praeteritos, welche sie praemissis
= Abbatibus angegeben gewesen,
= und hernach die Subsequentes durch
= einen eigenen Conventualen, der
= die schrift auch verstehen, angeführt;
= wie das fragmentum Necrologij San-
= Blasiani ex Bibliotheca Vindobo-
= nensi von Hr. Gentilotti communiciert
= hernach beweisen thuet. Idem zeiget
= ein artiges Necrologium Petershu-
= sanum, so Ehrenfeste geschehen:
= die grob meines vorläufigen
= berichts ist zugleich daraus, das

140

=in dem Necrol. San-Gallensi gleich
=anfangs 3. Abbates stehen darauf
=folgen 43. monachi, und wird 2.
=Abbates pp der letzte ist Hiemar
=die erste haben gelebt Sæc. IX. der
=letzte Sæculo XII. Jam ad rem.
In San-Gallensi Necrologio est diversa
manus, et atramentum; primum quidem
in ipsa Copia, si bene inspicias, depre-
hendi, alterum verò supponi potest,
eoquod Hiemar Abbas ante Sæculum
XII. insertus non fuerit: diversa verò
manus et atramentum diversos Scrip-
tores, diversamque sibi succedentem Scrip-
turam denotant. Cum igitur in hoc
MSS. Vuichram Abba primus appareat,
signum est, quod sub isto Wichramo
confœderatio inita fuerit; inde posue-
runt Wolvenum, antecessorem Wichrami,
atque tandem Wolveni præcursorem Ant-
warium, Gozbertum verò, crediderim,
omiserunt, eoquod ille ex alio monasterio
fuerit assumptus; monachos autem eo
ordine positos censeo, quo in Necrolo-
giis, et ~~Necrom~~ Calendarijs fuerunt an-
notati, incipiendo à Januario usque ad
Decembrem. An Wuichram vivus, an
mortuus inscriptus fuerit non moror,
sufficit enim, quod ille primo loco veniat,
qui confœderationem incepit.
Vel enim, quæro, Abbates in hoc MSS.
positi sunt illi, quos putant Rhinau-
gienses aliqui, jam ante Gozbertum
regnâsse, vel non sunt? Si non sunt,
quo fundamento adstruuntur Abbates
tales adscititij? Si verò sunt, quare
Wuichram secundus et secundò non inve-
nitur in hoc Cathalogo, sub cujus direc-
tione tamen Confœderationem inchoatam
esse plus quam certum est? Sentio,
quid respondere velint: inquient, licet
omissus sit Vuichram, Wolvene tamen
secundò apparet, signum infallibile, duos
fuisse Wolvenos. At verò, si dicerem eos
falli, qui hoc infallibile putant?
Wolvene secundò ponitur immediatè ante
Ottonem Columna III. Si autem hic sit
Wolvenus secundus, Restaurator, ut vocant,
cur rogo, ante Wipraht, Sigehart, Adal-
praht non est positus, cum tamen ille
immediatè, quod putant, successerit
Gozberto, et præcesserit Wichramo Con-
fœderationis institutori? imò cur
hunc Wolvenum Columna III. positum
non adjungunt Abbatibus illis in
interregno à 912. usque 969. positis
Sigehart, Othard, Ruatpold; nimirum
idcirco, verbo sit venia, ut præoccupa-
tum opinionem foveant. Sed ex me
quærent? quare tandem Wolvene secun-
dus sit positus? Scissitor rursus ego
quare Sigehart, Othard, Ruatpold po-
nuntur, nimirum, utro loco illos nume-

-remus, quo lacunas implere debent, aliqui
Abbates desiderantur. At neq ad hoc
confugio, verum dico, temporis longis-
-simi intervallo, quod Weichramum
et Ottonem intercessit, per errorem
unum unicum Wolvenum bis esse positum;
cum enim constet, sub Ottone Abbate
renovatam fuisse Confœderationem,
ab ipso sine dubio petita fuit desig-
-natio Confratrum; Scrutantes igitur
Calendaria et Necrologia Wolveni
nomen, utpote summi Benefactoris
et Restauratoris in Recentioribus etiam
invenire Codicibus, quod illis ansam
præbuit alium adhuc præter primum
assignandi Wolvenum; hinc primò
locò posuère Wolvene, secundo Otto-
-nem; econtra cum, ut arbitror, post
grande illud interregnum Wipertus
tandem denominatus est Abbas, no-
-mina Abbatum à San-Gallensibus ite-
-rum petita eo ordine ~~itidem~~ iterum posita
fuère, ut prima, nempè retrogrado,
ut primò Wipraht, sive Wipertus,
dein Sigehaft, licet iste prior Wi-
-perto fuerit, assignaretur: subse-
-quenter monachi; sicut etiam post
Ottonem. NB.

NB. Consferatur reflexio P. Caroli Besler Mon: Rhinaugiensis super hoc MS. San-Gallense.

His itaque fundamentis nunquam sanè
dimoveri potero ab opinione mea, nisi
æquè antiquo Autographo de contrario
edocear, primos Rhinaugia Abbates
fuisse post Gozpertum sæculo nempe
medio IX. Antwart, Wolvene, et
Wichram, tametsi nobis à quibus-
-dam contra hunc ordinem objiciatur
traditio Landfrith, quam sub Abbate
Antwart factam fuisse certum est, et
ut autumant ad an: 844. His
enim cum Clar.mo P. Geroldo Muller
Mon. Rhinaugiensi respondeo: vel
in cyphra errasse copistam, quod
in Chartarijs vetustis centies depre-
-hendimus, vel juxta Clar.mi Mabillonij
doctrinam factam quidem prius tradi-
-tionem, scriptis verò consignatam sub
Antwart. Si enim Gozbertum annis
tantum aliquot præcessit ~~Gozbertus~~ Antwart,
cur iste in Cathalogo S. Gallensi omit-
-titur? cur idem iste in Diplomate Lu-
-doviciano constituitur, non confirma-
-tur; cur in ~~[illegible]~~ eodem diplomate de
Abbatibus Monrij, de quo Ludovicus ait,
quod Pater et Avus, nec non ipse con-
-struxerat, nulla mentio? nisi, quod
Rex per hoc innuere voluerit, Monrium
quod Pater et avus jam construere
incipiebant, sed per dissidia domestica
subin penè stirpatum veniebat, tandem
a ipsum hunc Wolvenum plenè con-
-structum et absolutum fuerit?
Atque si antwart circa annum 840 jam pedum
tenuit, quo tempore, dicatur, bella illa
intestina, an sub eodem Antwart, an
sub Wichramo vel Wolwino I.o quos

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

142

finguut accidere? quibus Monasterium destruebatur. Si sub uno ex 3. his Abbatibus à primordio Sæc. IX usq ad medium regnantibus evenerunt, miror, quomodo Abbates et Monachi subsistere potuerint? maximè, cum restauratio tempore eodem necdum sit facta. Si ante Sæc. IX. Mrium stirpatum venit, quæro, ubi restaurator; an fortassis is ipse est, qui medio sæculo IX.no adhuc et supra vixit?? Itaq ne 50. annorum solumodo ~~fu-tis~~ majori antiquitate tam incerta, tam obfuscata tam multis anfractibus implicata frustra gaudeamus, satius, securius atq jucundius erit eam inire viam, quà terra solida certoq duce, Diplomatibus nempe chartarijs etc. etc. ambulare possumus; Quamobrem, si mihi concessum sit, meo Systemate ad concinnandam complanandamq Historiam Rhinaugiensem utar, alijs tamen aliorum sententijs omninò salvis atq præstimatis.

Systema
Historiæ Mrij Rhinaug.

Sæc. IX. ad initium Wolfhardus Wolveni Restauratoris avus, prima Mrij fundamenta ponit.

A.no 818. Wolving Wolfhardi filius Ecclesiam antiquitate collapsam aut ruinæ proximam renovat, secundamq manum ædificio Mrij applicat.

A.no 830. incirca intestina bella furentes inter Wolveni Restauratoris atq devastatio Mrij.

A.no circiter 840. captus per insidias in Hibernia S. Findanus, qui miraculo liber factus per Orcades Insulas in Franciam, Alemaniam, Italiam tandemq Romam iter instituit.

A.no ferè 844. Wolvenus junior, sive Restaurator destructum Mrium instaurare curat.

Circa idem tempus S. Findanus Româ deveniens in Fabaria comoratur.

A.no 846. ejusdem S. Findani ad Wolvenum restauratorem accessus, cum quo per quadriennium vivit.

A.no 851. S. Findani monachatus in Rhenaugiæ Mrio recens à Wolveno instaurato.

A.o 852. Gosberti Abbatis à monachis ibidem per unum alterumve annum congregatis electio, et per Ludovicum Germanicum ~~facta~~ constitutio.

A.^no^ 856. Reliquiæ S. Blasij Româ in Rhenaugiam deportatæ.

A.^no^ 857. S. Findani in clausuram secessus.

Eodem Año Antwarti Abbatis electio. 58.

A.^no^ 858. Albæ Lêtæ traditio per Sigemarum, et in eandem Partis Reliquiarũ S. Blasij translatio. Item Wolveni jam monachi, traditio.

A.^no^ 867. Wolveni in Abbatem electio.

A.^no^ 878. Wichram Abbas eligitur

A.^no^ 888. Gozbertus II. Abbas. in Nov.

A.^no^ 912. Rupertus Abbas

Interregnum propter omnimodã Mon.^rij^ destructionem per Hunnos illatã, quæ ^multa^ fors etiam eodẽ tempore Mon.^rio^ San-Blasiano contigit. Ante hanc fors adhuc Rhenaugiæ præerant Sigehast, Otkard et Ruatpold, Abbates. Aut inter Wipertũ et Adelbraftum intercessit Sigehast. #

\# Año 969. Wipertus per S. Conradum Ep. Constant. Abbas constitui[tur]

Abhinc Rhenaugiensis Historiæ Series nullo, quod mihi notum sit, offendiculo laborat.

Atq; hæc sunt universim, quæ ego tenui judicio meo, de primordijs Celeberrimi Mon.^rij^ Rhinaugiensis ingenuè sentio; quæq; veritatis ut puto, agnitæ amore sincerissimè exposui. Verùm et id ingenuè candidissimeq; fateor, non mei cerebri hæc esse inventa, neq; labor meus, præter quod ille calami sit; sed viri non omnia subministravere mihi argumenta quã benignissimè, ipsissimet Mon.^rij^ Rhenaugiensis optimi incolæ, quos inter primas tenet modernus Rev.^mus^ Abbas Bernardus, qui sumã gratia ea mecũ comunicavit singula, quæ ad hanc rẽ facere potuerunt; alter est Clar.^mus^ P. Geroldus Müller qui enucleantæ crysis Vir suis exquisitissimis notis ad Chartas Domesticas non exiguũ mihi lumen accendit. His, si quid modica cura mea præstiti, totũ est in acceptis referendũ; quibus et ipsis, eorũq; emunctiori judicio singula libens lubensq; subijcio.

Tantum

U. I. O. G. D.

Observatio III.tia

In traditionem Cellæ Albæ per Sigemarum Rhenaugiæ factam, atque translationem Reliquiarum S. Blasij in eandem Cel. Alb.